

*Giovanni da Palermo di Squillace è
nominato Sindaco di Motta Placanica*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Giovanni da Palermo di Squillace è
nominato Sindaco di Motta Placanica*

1329-11-26

In nomine Domine Amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo nono, die vigesimo sexto mensis novembris, tertie inditionis apud Mottam Placanice. Regnante Serenissimo Rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum suorum vigesimo primo feliciter amen.

Nos Guglielmus Baruni iudex predictæ Motte, Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinatus, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod Universitas hominum predictæ Motte, et omnes et singuli homines Motte Placanice, ipius clerici et laici, in unum more et loco solito congregati, presenti ut asseruit quod reverendus presbyter dominus Petrus, Dei et apostolice sedis gratia archiepiscopus rheginus, et abbas Bisantius vicarius, nec non reverendus pater, dominus Iordanus squillacenses episcopus proposuerunt, et ut eidem universitate assertum fuerit, et proponunt contra eandem universitatem, ac singulos homines universitatis predictæ, clericos et laicos universitatis ipsius, res et bona ipsorum hominum universitatis prædictæ, excommunicationes et interdicti ecclesiastici sententiam promulgare, ipsamque universitatem, ac singulos homines universitatis, cum dictos clericos et laicos universitatis ipsius, ut predictur res et bona eorum, enormiter et indebito aggravio ipse archiepiscopus rheginens, nec non vicarius sua auctoritate, et idem squillacensis episcopus, ex delegatione seu mandato factis eidem per dominus rheginus archiepiscopus, nec

non vicarius subscriptos, seu ordinaria iurisdictione, seu potestate ipsius domino squillacensis episcopi pro eo, quod predictus dominus archiepiscopus, seu eius vicarius asseruit, nobilem et egregium virum dominum Guglielmum Ruffum de Calabria, ipsius Motte et Veteris Brutiani dominum, teneri ad certum censum rhegine ecclesie pro terra dicta Palitii, et defuerat in solutione census predicti, in quo homines, omnes et singuli clerici, laici, universitatis cum dicte minime tenuuntur, nec tenentur, et est quod idem dominus archiepiscopus destituit, seu destitui fecit, officiales ipsius domini Guglielmi possessione, quorundam bonorum stabilium sitorum in terra et tenimento Bove, eidem domino Guglielmo obligatum per Pancratium de Vito de Bova, ut asseruerunt et iustitia sue detur, vel alterum quod pro altero, per alterum iniqua conditio minime inferatur; que de predicta prelatione sententie, per quem plures comminationes inter rheginum archiepiscopum et vicarium, ac dominum episcopum et processus alios ipsius domini archiepiscopi et vicarii, ac dicti domini episcopi habentur et innotescunt, eisdem asseruerunt. Volentes adhibere future morbo commodam medicinam, constituti fuit et ordinavit in suum verum et legitimum syndicum, actorem, et nuncium specialem discretum virum Ioannem de Panormo de Squillacio, presentem et volentes dictam syndicationem sponte suscipientem ad conferendam se nomine, et pro parte dictorum constituentiam ad reverendum in Christo presbyterum dominum rheginum archiepiscopum, eiusque vicarium, et squillacensem episcopum supradictos, et appellandi ipsorum constituentium nomine a quacumque excommunicationis, vel interdicti sententia, et alio quocumque gravamine comminationibus etiam illatis,

vel inferendis contra universitatem hominum Motte predicte, et singulos homines, clericos et laicos universitatis ipsius, eorumque familiarium, res et bona eorum per dominum archiepiscopum, eiusque vicarius, quam episcopus predictus eam inferant sive ratione nominatam superius, sive alia quocumque ad apostolicam sedem, et subveniendi dictam universitatem et omnis singulos, clericos et laicos universitatis praedictae, res et bona eorum, officia et beneficia ipsorum clericorum predictorum, et defensionem ipsius apostolice sedis, apostolos semel vel pluries sepe, et sepius instanter, et instantius petendi, et recipiendi, et ipsam appellationem si necesse fuerit proseguendi, et generaliter omnia et singula faciendi in premissis, et quolibet premissorum que quilibet verus et legitimus syndicus, actor, et nuncius specialis facere potest et debet, et que ipsi constituentes facerent, si personaliter interessent agendis, et ea tunc faciendi in quibus mandatum exigitur speciale. Promittentes dicti constituentes dicto eorum sindico, ac nuncio speciali, ac mihi predicto notario, pro parte et nomine omnium, quorum interest, intererit, et interesse poterit in futurum sub hypotheca bonorum suorum, se ratos, gratos, perpetuo habituros, et firmum quicquid per predictum eorum syndicum et nuncium in premissis, et quolibet premissorum actum fuerit sive gestum.

In cuius rei testimonium, ad futuram memoriam et omnium personarum quarum interest, intererit, et interesse poterit certitudinem quam predicti syndici cauthelam, presens scriptum publicum ei exinde factum est per manus mei predicti notarii publici, scriptum et subscriptum signo meo solito signatum,

signo crucis dicti iudicis, et subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum, ipsius universitatis petitionibus et rogatu. Actum Anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Signum crucis Guglielmi Baruni iudicis dicte Motte, scribere nescientis, manu propria scripsi ego predictus notarius. † Signum crucis proprie manus Ioannis Scroppeliti, scribere nescientis. † Signum crucis manus proprie Nicolai Otrivari, scribere nescientis. † Signum crucis manus proprie Ioannis de Mitra, scribere nescientis. † Signum crucis manus proprie Laicis de Mitra, scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Riccardi Trudamisi, scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Ioannis Balsani, scribere nescientis. † Signum crucis manus proprie Benivenuti Catalani, scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Deviro Orbe scribere nescientis. † Ego Nicolaus Tropeanus regius publicus qui supra notarius presens publicum instrumentum scripsi, et me subscripsi.